mihi relinquere debuit, quo ſanè ægerrime careo.
Iribus vocibus iterũ illũ moneo. Vale delitium
& ſolatium meum. Quid vivat antiquus meus a-
micus M. Lucius, fac ſciam, atq; illũ ex me ſaluta
ut et cl. virũ D. D. Zwingerũ. Hanoviæ a.d.
24 Julii. 1643. ὁ σὸς ὡς ἀεὶ [illegible]

Miſcellanea, Miſcellanea Miſcellanea ὁ σὸς ὡς ἀεὶ [illegible]
tua fac oculis meis uſurpare queam

A Monſieur
Monſieur Touſſain principal
du College de Basle.

314. S. P. D. Mi dilectiſſime Dn. Compater: Perlectis tuis poſtre-
mis tantum non extra me raptus ſum. Ita enim me ob-
ruis tuis benefactis. Non ſatis ſcilicet me tot præclaris meritis
affeciſſe, ſed laboras inſuper, me accumulare aliis. Quæ
ſanè indoles tua efficit, ut te non ſolum Amici modò habe-
am loco, ſed pro fratre, immò patre, qui me ſenem tam pro-
clivi animo foves. Tali quidem ἀλογία benevolentem ego
valdè carere volui, ac me ſubtrahere è coetu τῶν [illegible]
ne ſic cogar eſſe aliis odio. Sed cùm per mea vota non
ſit abire, utiq; pati cogor talem τῶν εὐεργετημάτων,
ga me ἀπληστίαν, qualis ſolet eſſe tua [illegible]. Spem mihi
facis Mathematicæ λογίας, quam toto pectore amplexus
ſum, meoq; conſilio uſus, ad Ampliſſ. Coll. et Senatores
Scripſi καλὸ τὸ πεῖπον, gratiasq; debitas egi: huius autem
erga me ἐνδείξεως, non ſine honore tuo largiter illis
expoſui. Quare, mi Chariſſime, fac id, quod ſemper
feciſti et litterulas meas Clariſſ. Dn. Chimeleio ita com-
menda, ut intelligat, beneficium illud non in hominem
nauci aut nullius ponderis collatũ iri, ſed cum quo gra-
to ac [illegible] apud poſteros monumentũ illius beneficen-
tiæ ſit poſiturus in ſcriptis: dummodò per ætatis mala
annos ſuperſtites id licitum mihi ſit. Quæ fiducia me
firmiter ſuſtentat. Etſi enim corpore usq; et usq; ἀδύνατος,
tamen animo ſum, qui ſemper fui. Ubi accepero quod
ſpero, de commodo Eucharistico cogitabo nec tui imme-
mor

mor sum futurus antequam mihi fiat quod solet.

De miscellaneis tuis Scioppionis mihi salivam majorem movisti, video enim mea Gifaniana quae γνήσια sunt à tuis nonnihil discrepare. Itaque nihil mihi gratius nihil bono publico salutarius fieri posse existimo, quam si σύγκρισιν quandam mei exemplaris cum tuis miscellaneis instituam. Est sane magnum opus in folio, quod habeo, quod inexhausta doctrina plenum est, ut videbis, quamprimum in lucem edidero, quod ante vix facturus sum, antequam Miscellanea tua usurpavero. Mitte igitur ad instantes nundinas cum librariis vestris. Caveo ego ne hujus tuae προθυμίας te poeniteat unquam. Exemplum tuum sancte tibi promitto, me citius remissurum quam asparagi coquantur. Tantum enim cum meis Gifanianis comparabo. Quod intra triduum facile me effecturum confido. Nec tu mihi in expectatione indecens abibis. Cum Dno Scioppio libenter hoc negotium contulissem, nisi locorum intervallum adhiberet. Mirariis tu cur cupierim scire, ubi locorum degeret. Patavii enim haerere, nunquam ex literis tuis nisi postremis scire potui. Secus profecto ad eum de hoc meo proposito uberius retulissem. Ipsius namque haud parum interest: cum aliquoties in opere illo, quod penes me est, vapulet non satis adeo inurbaniter, ut vulgus Criticorum solet. Libellos illos Scioppianos de quibus scribis, habeo et legi. In illis vidi, animum illi fuisse in publicam lucem emittere. Promptuarium Romanae Eloquentiae. Volumen ingens ex melioribus Latinitatis Authoribus, nova observandi ratione compositum: cui similem operam nemo adhuc fortassis nec cogitavit. Pro hoc opere vulgando impetravit privilegia ab Pontifice Urban: VIII ab Imperat: Ferdin: II. ab Rege Galliarum, ab magno Duce Hetruriae Sed ego opinor, aliud nullum esse, quam genuinum hoc Gifanianum, quod in manibus meis nunc est, singulari Dei προνοίᾳ ad me devolutum. Tu si ad illum prior scribas, quam ego, quaeso aliquid innue de meo proposito. Gratum etiam mihi feceris, si quo, et per quem, qua via, ad eum scribere soles, mihi indices.

Ego in mei ꝯfadē honesti illius meminero, qui mihi in juventute intimus fuit amicus: et caeterorum de bonis literis optime meritus vir. ꝯmisi etiam multa in Plau-tum: quae utinam habuissem, antequam novissima mea in lucem ꝓdiret. Fortassis ex Miscellaneis tuis aliquid ad hæc subsidii capere potero. Nam certe quandam editionem polliceri ausim ob crebra σφάλματα in ultima mea convenisse. Quare omni curâ et sollicitudine Miscellanea tua expecto et omni πληροφορίᾳ spero te ad Nundinas me mei voti compotem facturum. Theologia mea in operibus paternis bene pendent ob Genevensium Plagia. Primi tomi pars I. typis quidem expressa est, sed publicè non ꝓstat quia vidua Rosana sibi à Genevensibus prius cautum vult, antequam pergat. Mi Charissime Dñe Thossane, valde te oro, ut ap. Dñm cognatum suum Gothofredus negotium hoc juxta meum urgeas instanterque roges, ut suâ Authoritate negotium hoc tandem componat: ac Ecclesia diutius privetur tam salutari opere. Ego dolore pene contabesco quod nec sibi nec aliis amicis exemplum operis editi, communicare possim. Ipse enim nullum habeo: quia vidua penes se omnia arcte detinet, donec res componatur.
Vale charissimum meum pectus, et quaeso impera, siquid tibi gratum à me fieri possit, atque ita faciam dum vivo. Dum sum, dum possum. Uxorem tuam et suavissimam tuam costam, meo nomine saluta et amplectere. Hanoviae a. d. 23 Febr. 1643. ὡς τάχιστα.

Multissima ἀσπασμάτια tibi commendo. Miscellanea tua, impatienter expecto. De responsione certâ ac maturâ ne dubitare velit. Patrem tuum non recte nosti.

Tuus alter
G. W. Daig.

A Monsr. Monsr. Tossain Principal du College.
A Basle.

Salutem